



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

XI. Vt omnis presbyter, abbas, vel diaconus episcopo suo humilitatem
teneat, & reuerentiam summam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

quisque fuerit constitutus, benigne persistat, & sui dignitatem officii per omnia teneat. Si quis ex his sui gradus ordinem non custodierit, & quæ illi pro tali officio a suo episcopo imperata fuerint adimplere distulerit, prout causa patuerit, excommunicationis damno multandum se nouerit.

X I.

Peruenit ad cœtum huius sancti Concilii, presbyteros, abbates & diaconos episcopo suo inobedientes esse; atque id intromissum est, ut dum quilibet ex presbyteris, aut abbatibus ecclesiarum suarum a decedentibus episcopis habeant absolutiōnem, episcopo suo dignam obedientiam iustumque reuerentiam non exhibeant, & quibus concessa est

Ius visitandi episcopis competit: de qua re di- ximus supra Conc. Tol. IV. cap. 36.

per canonicam sententiam visitandi * sua parochia, his potius infertur iniuria, & mouetur calumnia. Proinde placuit hic sancto Concilio, vt tam a presbyteris, quam ab abbatibus, siue etiam a diaconibus, episcopo honor debitus impendatur: ut a nullo contumeliam pati videatur. & quandocumque contigerit eum, iuxta canonicam sententiam, visitare suam parochiam; & digne eum suscipiant, &, prout habuerint, aut ratio permiserit, illi præparent quæ fuerint necessaria. Id ergo per omnia seruandum instituimus, vt nulli presbytero, vel diacono sine voluntate episcopi sui licentia sit ° sacerdtales peragere causas, aut iniunctiones expedire publicas. Si quis huius ordinem capituli transcendere voluerit, excommunicationis sententia ferendum se nouerit.

tit. m m M X II.

Si priorum Canonum sententia hunc recte te-

* fort. sua
paro-
chiam,